DE GLORIOSISSIMA CHRISTI DOMINI RESURRECTIONE ORATIO HABITA TERTIO NONAS...

Ascanio Ercolani, Valenti Gonzaga



BEATISSIME PATER.



Ihil mihi aut optabilius, aut illustrius contingere potuit, BEATISSIME PATER, *quam ut incultam hanc Orationem maximi omnium Pontificis Nomine cohonestatam in lucem traderem, ex cujus amplitudine, ac dignitate ejus tenuitas sublevetur. Id plane singulare beneficium humanitati Tuæ prorsus adscribitur, quæ tanta est, ut cum in aliis virtutibus neminem Tibi anteponere, in hac ne conferre quidem possim. Miramur sane magna illa, ac præclara ornamen-*

ta, quæ Te jampridem ad ſummum Imperium extulerunt; videlicet excellentem in rebus omnibus conſtituendis æquitatem; liberalem in Cives univerſos, vexataſque diuturna calamitate Provincias beneficientiam; eximium denique paternæ voluntatis ſtudium, quo turbulentis his bellorum temporibus nihil enixius contendiſti, quam ut diſſidentes inter ſe Principes ad concordiam revocares. Hæc, & alia plurima de Te unanimi voce prædicantur, quæ, non qui laudibus efferat, aſſentator, ſed qui non laudet, aut omnino ſtupidus, aut malevolus exiſtimetur; ſed nihil magis in admirationem pertrahit, quam nota ſatis, ac perſpecta benignitas, qua, licet graviſſimis curis diſtentus, omnibus tamen adeundi Tui facultas conceditur; ita ut, quamvis in hac altiſſima honoris Sede collocatus Principibus omnibus excellas, infimos etiam, ac ſupplices incredibili facilitate complectaris. Quoniam igitur id tribuiſti humanitati Tuæ, ut exiguum hoc ingenii mei monumentum ſuſciperes; tribue idem conſtantiæ, ut me ſuſceptum ampliſſimo Tuo Patrocinio tuearis, ac foveas.

ORATIO.

ORATIO.



ÆTANDUM magnopere nobis eſt, BEATISSIME PATER, dum Salvator Dominus ex mortuis reſurgens Divinitatem ſuam terreni corporis humilitate contectam certiſſimo teſtimonio comprobavit. Nam cum ille obierit quidem mortem, quia creatus, & in ſimilitudinem hominum factus, diſrupit ſane mortis vincula, quia Creator, & omnem priſtinæ infirmitatis ſuſpicionem inuſitato Triumphi ſplendore delevit. Quid autem jucundius contingere poterat, quam ut Parentem noſtrum amantiſſimum, & communis omnium ſalutis Auctorem tanto honore, tantaque amplitudine exornatum intueremur? Quamquam non illius tantum gloria Fidelium animos exhilarat, ſed nova etiam, ac ſingularis dignitas, quæ naturæ hominis ab ipſo ſuſceptæ tribuitur, maximum lætitiæ præbet argumentum. Videmus quidem illam hodierna die in ſublimiorem lucem evectam, quam cum Dei Filius ad reparandum genus noſtrum, ipſam ſibi ineffabili beneficio copulavit.

S. Ambr. in Simb. cap. 12.

Mira-

Ad Philip. cap. 2. Mirabilis ſane dignatio! Cum Verbum in forma Dei eſſet, ſemetipſum exinanivit formam Servi accipiens, ut illam arctiſſimo vinculo cum ſua Divinitate conjungeret. Cum tamen per mortem hominis ſuſcepti vellet eum deſtruere, *Ad Hæbr. cap. 2.* qui habebat mortis imperium, & liberare eos, qui per totam vitam obnoxii erant ſervituti; ideo naturam noſtram ita ſibi adjunxit, ut tamen inſitam divinitatis virtutem, atque ſplendorem in ipſam diffundi non pateretur. Hinc ſæviſsimis tormentis excruciari potuit; hinc ipſius Anima futuræ paſsionis acerbitate propoſita *Matth. 26.* triſtis fuit, & mortis horrore perturbata. Quare licet humanitas noſtra ſe participem divinitatis jampridem gloriaretur, ſuis tamen incommodis, veluti graviſsimo pondere minime levabatur. Hodie tandem ampliſſimam triumphi gloriam aſſequuta, veterem infirmitatem exuit; & laxata (ut ita dicam) divinitatis virtute, quæ prius tegebatur, tanta luce undequaque circumfunditur, ut nihil, niſi immortale, *Petr. ep. 2. cap. 3.* niſi divinum præſeferat. Fidelis Deus, quia non tardat promiſsionem ſuam! Cum cœleſtis Reparator non venerit facere vo- *Joann. 6.* luntatem ſuam, ſed ejus, qui miſit illum,

hæc

hæc inde retributio a Deo eſt, ut ei corpori, quod aſſumpſit, paternæ gloriæ donetur æqualitâs. O præclaram, o ineffabilem naturæ noſtræ dignitatem! Quæ modo ſuis cruentata vulneribus, atque neglecta in ſepulchro delituit; nunc in eum locum adducitur, ut ad immortalitatem perducatur, & in cœleſtibus collocetur. Perpendite arcanum myſterium longe ante in virga Aaron ſignificatum; quæ ſicut areſcentibus foliis in tabernaculo poſita, cum inde per Moyſem educeretur, germinavit, & turgentibus gemmis flores eruperunt; ita Salvatoris humanitas ad immortalem vitam revocata novis adeo ſplendoribus coruſcat; ut, licet veterem originis ſuæ materiem retineat, in divinam ferme ſpeciem, atque imaginem translata eſſe videatur. Jam ipſius fragilitas in beatam incorruptionem, jam tota abjectio in ſempiternam gloriam feliciter convertitur; jam denique homo, ut exclamat S. Hilarius, factus eſt Deus; ſuperavit enim magnitudo Domini parvitatem ſervilis formæ. Neque ſane eam gloriam, licet eximiam, qua Filius hominis in vertice Thabor clarificatus eſt, comparemus; cum reſplenduit facies ejus, ſicut Sol, ita

S. Hilar. in pſal. 141.

S. Ambr. in Simb. cap. 31.

Num. 17.

S. Hilar. in pſal. 55.

Matth. 9.

ut

ut intuentium diſcipulorum oculos ſimul obtunderet, eoſque incredibili gaudio recrearet. Tunc enim nondum fuerat mortalitas immortalitate veſtita, nec in æternam virtutem temporalis infirmitas commutata. Nunc denique naturæ humanæ amplitudo in Parente noſtro perficitur, cum omni prorſus ægritudine ſpoliatur: Nunc veluti Solis luce perfuſus aer in eandem transformatur luminis claritatem, adeout non tam illuminatus, quam ipſum lumen videri poſſit; ita ſuſceptus homo Divinitatis effuſo ſplendore ſic illuſtratur, ut eum prope divinum agnoſcamus. Quare, cum facti ſimus lux in Domino, & conformes imaginis Filii ſui, opera lucis amplectamur; nam ſi in luce non ambulamus, & habere cum ipſo ſocietatem dixerimus, mentimur, & veritatem non facimus.


S. Aug. in Evang. Joan. tract. 63.

S. Bern. de dilig. Deo cap. 10.

Ad Ephes. cap 5

Ad Rom. cap. 8.

Joann. ep. 1. cap. 1.



F I N I S.